



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de Beatitudine, de Actibus humanis, eorumque Moralitate; de Virtutibus ac Donis, de Vitiis ac Peccatis, & de Legibus, nec-non Dissertationem Theologicam de Probabilitate

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. I. Conclusio affirmativa statuitur, & SS. Patrum testimoniis illustratur

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77355](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77355)

ARTICVLVS II.

An virtutes morales in esse perfecto, habeant necessariam connexionem inter se?

15. **D**ixi virtutes morales: Quia si sermo sit de intellectualibus, sive practicis, sive speculativis, manifestum est non esse inter se connexas, sed posse unam sine alia reperiri, ut scientiam sine prudentia, vel artem sine scientia. Similiter etiam constat virtutes Theologicas non habere necessariam inter se connexionem: cum fides & spes possint esse sine charitate, ut patet in peccatore fideli. Unde Tridentinum sess. 6. can. 28. *Si quis dixerit, amissam per peccatum gratiam, simul & fidem semper amitti; aut fidem qua remanet, non esse veram fidem, anathema sit.* Totam ergo difficultas ad virtutes morales devolvitur, non quidem quantum ad essentiam, aut in statu imperfecto consideratas, sed prout sunt in statu perfecto. Quod ut magis declaratur:

16. Advertendum est, virtutes morales posse dupliciter considerari; vel ut perfectas quantum ad statum, quando scilicet ita firmiter actuant subiectum, ut omnibus rectitudinem impediens facile possit obistere: vel ut imperfectas, quando scilicet sunt in subiecto per modum dispositionis mobilis, nec firmam tribuunt facultatem vincendi impedimenta.

17. Concedunt ergo communiter Theologi cum D. Thoma hic qu. 65. art. 1. virtutes imperfectas non esse necessariam ad invicem connexas. Idque experientia satis convincit, cum videamus multos esse promptos, non solum ex naturali complexione, sed etiam ex quadam assuetudine acquisita, ad opera misericordiae, qui tamen non sunt prompti ad opera castitatis. Unde praesens controversia & difficultas procedit solum de virtutibus moralibus secundum statum perfectis. Has enim Scotus, Vazquez, Lorca, Theophilus Raynaudus, & alij, negant habere inter se necessariam connexionem: affirmant vero caeteri Theologi, tam domestici, quam extranei, cum S. Thoma citato. Unde sit

S. I.

Conclusio affirmativa statuitur, & SS. Patrum testimoniis illustratur.

18. **D**ico igitur, virtutes morales in esse perfecto ita esse connexas inter se, ut qui una caret, nullam perfectam habeat.

Hanc conclusionem passim docent SS. Patres: Ambrosius enim lib. 5. in Lucam cap. de sermone Iesu, sic ait: *Connexa igitur sunt, concatenataque virtutes, ut qui unam habeat, plures habere videatur.* Et lib. 1. de officiis cap. 27. *Liquet cognatas sibi esse virtutes.* Augustinus lib. 6. de Trinit. cap. 4. *Virtutes (inquit) quae sunt in animo humano, nullo modo separantur ab invicem.* Bernardus lib. 1. de considerat. cap. 8. ait esse suavissimum quendam concentum, completumque virtutum, atque alteram pendere ab altera. Gregorius lib. 22. moral. cap. 1. circa medium. occasione virtutum Iob, quas ipse in se cap. 31. tam varias distinctim enumerat, haec scribit: *Vna virtus sine aliis, aut omnino nulla*

A est, aut imperfecta. Ut enim de primis quatuor virtutibus loquar, prudentia, temperantia, fortitudo, atque iustitia, tantum perfecta sunt singula, quanto vicissim sibi sunt conjuncta: disjuncta autem perfecta esse nequaquam possunt; quia nec prudentia vera est, quae iusta, temperans, & fortis non est; nec perfecta temperantia, quae fortis, iusta, & prudens non est; nec fortitudo integra, quae prudens, temperans, & iusta non est; nec vera iustitia, quae prudens, fortis, & temperans non est. Quo nihil clarius & expressius in favorem nostrae conclusionis dici potest. Demum Philo Iudaeus lib. 2. de vita Moysis, illud ut vulgare effatum usurpat: *Virtutes omnes habet, qui unam habet.*

Eandem veritatem solo luminis naturalis ductu agnovere Philosophi Ethnici: Tullius enim in 2. Tusculanarum quaestionum, sic ait: *Si unam virtutem confessus es te non habere, nullam necesse est te habiturum.* Et Aristoteles lib. 2. Magnorum Moralium: *Neque alia (inquit) sine prudentia virtutes sunt, neque prudentia absque reliquis virtutibus perfecta. Verum invicem sese coadjuvant, comitant prudentiam.* Unde 6. Ethic. cap. 5. ait temperantiam esse conservatricem prudentiae, ideoque dictam *sovereinam*, quasi servatricem & salutem mentis. Et rationem ibidem reddit, cum asserit iudicium quidem speculativum non perverti morum depravatione, iudicium tamen practicum ad mores spectans inde saepe corrumpi: *Illi (inquit) qui aut voluptate, aut dolore correptus est, principium statim non apparebit, neque ejus causa, atque ob id omnia eligi atque agi oportere; vitium enim ejusmodi est, ut principium corrumpat.*

Denique D. Augustinus Epist. 18. asserit omnibus Philosophis placuisse dogma de connexionem & inseparabilitate virtutum, hanc eorum rationationem proferens: *Hinc (ait) persuadent Philosophi, qui unam virtutem habuerit, habere omnes, & omnes deesse cui una defuerit, quod prudentia nec ignava, nec injusta, nec intemperans potest esse: nam si aliquid horum fuerit, prudentia non erit. Porro si prudentia tunc erit, si & fortis, & iusta, & temperans sit; profecto ubi fuerit, secum habet ceteras. Sic & fortitudo imprudens esse non potest, vel intemperans, vel injusta. Sic temperantia necesse est ut prudens, fortis, & iusta sit. Sic iustitia non est nisi prudens, fortis, & temperans. Ita ubi est una vera aliqua earum, & alia similiter sunt. Vbi autem alia defunt, vera illa una non est, etiamsi aliquo modo similis esse videatur.*

Id confirmat ibidem exemplo Catilinae, qui (ut de illo scripserunt qui nosse potuerunt) frigus, sitim, famem ferre poterat, eratque patiens inedia, algoris, vigilia, supra quam cuiquam credibile est, ac per hoc & sibi & suis magna praeditus fortitudine videbatur. Sed haec fortitudo prudens non erat; mala enim pro bonis eligebat: temperans non erat; corruptelis enim turpissimis feda batur: iusta non erat; nam contra patriam conjuraverat. Et ideo nec fortitudo erat, sed duritia sibi (ut stultus falleret) nomen fortitudinis imponebat. Nam si fortitudo esset, non vitium sed virtus esset. Si autem virtus esset, a ceteris virtutibus tanquam inseparabilibus comitibus nunquam relinqueretur.

